

UM
RUM
E
EINZIA
UM





DIVITIARUM
EVANGELICARUM
FESTIVALIUM

Disquisitio XVI

PRÆSIDE

CHRITIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

TOBIA HEINSIO

Sorâ Lusato.

In Festo II. PENTECOSTES.

A. O. R. cl. lbc. II.

HALLIS SAXONUM

Prelo Heredum Melchioris

Oelschlegell.



Illustris ac Plenipotentiis

in

Inferiore Lusatia

Dn. PRO MARCHIONIS

**DN. SIGISMUNDI SIGFRIDI
FILII**

Illustribus ac Generosissimis

Liberis Baronibus, & Dominis

DNN.

OTTHONI } Fratribus Ger-
ULRICO } manis.

Baronibus de Promnitz / Dynastis in
Soraw / Triefel / Pleß &
Naumburg / &c.

Dominis suis clementibus

Hoc sacrum Disquisitorium
submisit

offert & consecrat

RESPONDENS.

dit filii immundum ablegatio v. 16. in quo in genere modus: sic. Hoc est supra quam credi potest, ut Christus quasi admirabundus exaggeret hoc ipsum, quod sequitur; ut enim Moyses admiratur Dei amorem, dicens: Ecce quam dilexit populos Deut. 33, 3. & David, quam magna multitudo bonitatis tua Domine Psalm. 31, 20. ita etiam Christus hoc in loco per sic testatur. Ut discamus non vulgariter, sed magnificentiter illud ipsum fieri, quod salutem nostram concernit.

2. In specie, partim est causa, & vel interna, quoad prædicatum: dilexit. Et quidem ante tempora secularia 2. Tim. 1, 9. imò ante mundi jacta fundamenta Eph. 1, 4. Neq; aliter potuit, quia ipsa charitas 1. Ioh. 4, 8. & diligit alias omnia, & nihil odit Deus eorum, qua fecit Sap. 11, 25. Unde Hugo: perpende quantum ab ipso diligaris, quia beneficium ejus nunquam insufficiens cognoscis. Etiam diliget post tempus, dum paravit nobis aeternas mansiones Ioh. 16, 2. & Eph. 2, 7. Ut discamus dilectionem Dei esse primariam causam nostrae salutis.

3. Quoad materiam seu objectum: mundum. Hoc est omnes omnino homines, etiam cum adhuc inimici essemus Rom. 5, 8. Unde

Vnde colligitur quod omnino nemo excluden-
 dus sit: Dividitur enim hic mundus in-
 credentes, & incredulos v. 17. hi te-
 nebras luci preferunt v. 18. Et alibi additur
 1. Ioh. 2, 2. totus, quod vocabulum omnium
 partium collectionem significat: neq; enim vult
 ullos perire, 2. Petr. 3, 9. omnium est miser-
 tus Rom. 11, 32. Idq; etiam iuramento confir-
 mat Ezech. 33, 11. Vnde Cæsarius hom. 7.
 inquit: cum Deus velit misereri, quia bonus
 est & possit quia omnipotens est, ipse contra se
 ianuam divinae misericordiae claudit, qui Do-
 minum sui misereri, aut non velle, aut
 non posse credit, & eum aut bonum, aut
 omnipotentem esse diffidit. Vt discamus De-
 um non causam damnationis, sed homines.

5. Effectus respectu diligentis: ut filium
 suum unigenitum daret. Ne quisquam
 dubitaret de gratia ipsius, ideoq; quod opti-
 mum habuit, etiam dedit. Et quid amplius
 habet Hugo in meditat. debuit? Atq; ita di-
 lexit mundum intensivè, quia filium dedit,
 & quidem filium suum unigenitum Ioh. 1, 8.
 dilectum Matth. 3. v. ult. electum anime suae
 Es. 42, 1. Vnde Bernh. serm. 2. in die Pent.
 ut servum redimat filio non parcit. Et quomo-
 do non diligeretur homo, propter quem unige-

nitus ex sinu patris dimittitur? Clem. Alex. lib. 5. paedag. c. 3. ait: mirentur alij potentiam Dei immensam, ego admirabor promissionem in filio promissam & exhibitam. Et dilexit extensivè. quia mundo dedit, in carnis humilitatem Phil. 2, 8. in summam paupertatem Matth. 8, 20. in mortis amaritudinem Heb. 2, 9. Unde Bernh. patent patris eterni amoris viscera per aperta Christi vulnera.

6. Respectu hominis, quoad subjectum: ut omnis, qui credit in eum. Eum namque in finem filius ille Dei unigenitus nobis datus, ut quicumq; in ipsum credit, hoc est ejus nomen, satisfactionem & meritum vera fide sibi applicat: talis enim fides requiritur, non historica, quae post firmiter apprehensum Dei filium, per dilectionem operatur, uti habet Apost. Gal 5 6. Ut discamus fidem nostram esse organon salutis.

7. Quoad praedicatum negativè: non pereat. Aeternaliter uti vox Syriaca innuit abad, quae significat perditionem infernalem Prov. 15, 11. 27, 20. Unde & Diabolus Abaddon dicitur Apoc. 9, 21. Ut discamus, modo quis fidem habeat veram, ipsum non perire.

8. Et affirmativè: sed vitam aeternam ha-

habeat. *O lucrum*, exclamat Theophyl. in c. 3. Ioh. *verè magnum, & supra omne*: ut *omnis, qui credit in illum, duo illa lucretur, unum quidem, quod non perit, alterum quod vitam habeat atq; vitam eternam. Ut discamus DEi immensum in nos homines amorem.*

9. Et hominum salvatio v. 17. in quo ratio, quoad causam efficientem per negationem adversativam: Non enim misit Deus filium suum in mundum. *Loquitur de primo adventu, quo missus in hunc mundum à Patre, uti testatur tota historia Evangelica. Quod si ergo misit filium eum, habere necesse est, si enim non haberet, quomodo mitteret? ut redarguatur genus paratum ad legendum, cæcum ad intelligendum, durum ad credendum, quemadmodum August. de jud. serm. 35. de temp. ait.*

10. Et finalis, per remotionem: ut iudicet mundum. *Hoc est ut damnet. Et quamvis Ioh. 9, 39. dicatur in iudicium venisse: intelligit iudicium discretionis, quo electi à reprobis per certas notas, etiam in hac vita discernuntur; aut non per se iudicium attribuendum est adventui, sed ob Phariseorum aliorumq; incredulorum contumaciam. Ideoq;*

ex accidente & secundario vide Theophyl.
in hunc locum: quia duo sunt, inquit, adven-
tus Christi, & ille, qui fuit, & ille qui venturus
est: de priori adventu dicit, quod non missus sit
filius ut condemnet mundum, quia si propter
hoc venisset omnes utiq; condemnati fuissent,
omnes enim peccaverunt, sed primum ad hoc
venit ut mundum servaret; atq; hac intentio
ejus fuit, per accidens autem judicat eos, qui
non crediderunt.

11. Per positionem: sed ut salvetur mun-
dus per ipsum. Est ipse enim salutare Ps. 61, 8.
Ut discamus unicam causam nostre salutis esse
ipsum Christum: unde & vocatur justitia no-
stra 1. Cor. 1, 24. propitiatio nostra Ioh. 1, 29.
Non ergo dilexit Deus absoluta bonitate, sed
in filio dilecto Eph. 1, 6. non absoluta gratia, sed
que in Christo data 1. Tim. 2, 6. Hinc August.
ep. 105, ad Sixt. Deus non invenit homines
eligendos, sed facit.

12. Partim est hominum improbitas,
quæ ostenditur ex incredulitate, ubi est in-
credulorum damnatio v. 18. In quo est col-
latio contrariorum, quoad causam de cre-
dulis respectu subjecti: qui credit in eum.
Hoc est, qui firma fide Christum amplectitur.
Est enim firma fides non tantum nuda notitia & as-
sere

sensus, sed indubitata cordis fiducia Rom. 4, 2
Eph. 3, 12. *Vt discamus credendum esse fiduci-*
aliter.

13. Prædicatum: non iudicatur. Judi-
cio nempe condemnationis Ioh. 5, 24. *Alias*
enim venient ad iudicium p̄ se sistendo Rom.
14, 11. rationem reddendo Rom. 14, 12. senten-
tiam audiendo Matth. 25, 14. premia repor-
tando 2. Cor. 5, 10. Præterea non iudicabuntur
ratione manifestationis peccatorum, cum illa
per sanguinem deleta Est. 43, 25. Ezech. 33, 16.
1. Ioh. 1, 8. Vt discamus magnum esse privile-
gium electorum.

14. De incredulis, per propositionem
quoad subjectum: quia non credit. *Hoc*
est, quia veram fidem non habet. Est autem
is, qui fidem suam, dum potest, non ostendit esse
vivificam, sed tantum iactitat fidem. Et facit
opera carnis. Vt discamus incredulitatem esse
causam damnationis.

15. Quoad prædicatum: jam iudicatus
est. *Quoad decretum 1. in Dei iudicio: no-*
vit enim Dominus qui sint eius 2. in verbo, 3.
reatu: sicut enim, quod simile Chrysof. hom.
27. in Ioh. habet. qui occidit hominem. Et si
nondum sententia iudicantis condemnatus, rei
tamen natura condemnatus est; Ita et qui in-

Est 4

credu-

credulus est. Sicut & Adam quo die de ligno comedit, mortuus est. Factum quidem iudicium, habet August tract. 12. in Johan. sed nondum aperuit: novit enim Dominus, qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam.

16. Et per rationem, ab objecti dignitate: quia non credidit in nomen unigeniti filii Dei. In hoc enim nomine Act. 4, 7. sola salus. Nec habet, inquit Alucinus ap. Thom. Deus multos filios, qui possent salvare, hunc habet unigenitum per quem salvat. Ergo incredulitas, & nō Deo, est causa cōdemnationis. Ut discamus, quod Cyrillus lib. 2, c. 53. in Johan. ait, quod magnum sit incredulitatis crimen; quanto enim prestantius est, quod contemnitur, tanto majoribus, qui spernit, supplicis subiacebit.

17. Et ex contemptu per thesin, ubi tum lucis venientis nōn acceptatio v. 19. In quo summatim: Hoc autem est iudicium. Ne quis ex precedentibus colligat quasi nullum restet: ideo additur quodnam sit futurum, quod ubi ex aliis constat, ita etiam ex hoc loco asseritur. Ut discamus futurum esse iudicium.

18. Exo

18. Explicatim, quoad causam & ob-
jectū: quia lux venit in mundum. *Id est in-*
terprete Beda in hunc locum, Christ⁹: erat e-
nim lux vera illuminans omnem hominem
Joh. 1. 9. qua revelatur nobis in Evangelio
& verbo. Lux vero dicitur, dum latifi-
cat Ps. 119, 14. dum pigros excitat Eph. 5, 8.
dum ambulans usurpat Ps. 119, 9. Ut discant
sequi Christum nisi velint tenebras incidere
aternas.

19. Et quoad effectum per propositio-
nem comparatam: & dilexerunt homines
magis tenebras quam lucem. *Hoc est pec-*
cata: sunt enim opera tenebrarum Eph. 5, 11.
& sunt à principe tenebrarum Eph. 6. 12. Di-
cuntur verò tenebrae, ob Christi solis absentiam
Ioh. 12, 35. ob terrorem, Ioh. 12, 15. ob im-
pedimenta Eccles. 2, 14. Ergò homines ipsi
oculos claudunt, ne videant Ioh. 12, 46.
cum habeant oculos occæcatos 2. Cor. 4, 4.
utiq; lucem non diligunt. Ut discamus pecca-
ta fugere.

20. Et per declarationem: erant enim
mala eorum opera. *Nam omnis, qui malè*
agit, odit lucem Ioh. 3. 20. ut ex operibus col-
ligatur à posteriori, quid homo amet, aut quid

viuet. Vt discamus ex operibus colligere quis malus, quis bonus sit.

21. Et antithesin respectu malorum, lucis testatio v. 20. In quo subjectum: omnis mala agens. Hoc est, omnis peccator: ille enim male agit, qui non recte agit; sed contra legem Dei. Vnde inquit Greg. l. 25, c. 9. moral. nihil aliud agitur peccando, quam culpa culpae feriat, quatenus supplicia fiunt peccantium, ipsa incrementa vitiorum. Vt discamus peccatores perpetuo malitiam pergere suam.

22. Prædicatum, affirmativè: odit lucem. Dum sua malefacta perpetuis sepulta cupit tenebris. Ita tenebras querebat Adam, ita Cain. Vt discamus nequam eum esse, qui lucem vitat.

23. Et negativè, per assertionem: Et non venit ad lucem. Mauult quippe latere, ne deprehendatur, uti solent hypocrita. Vt discamus bonos amare lucem.

24. Et per rationem à causa finali: ut non arguantur opera ejus. Nempe mala. Vt discamus indicium mala cause esse fugere, & sese occultare.

25. Respectu bonorum est in luce ope-

ratio v. 21. In quo subjectum: faciens verò
veritatem. Hoc est ia faciens, qua vera sunt.
Idq; fit quando quis corde sincero colit Deum,
amat eius verbum & revera, non apparenter
prestat opera mandata à Deo. Vt discamus
veritatem esse, indicium candidi & pii homi-
nis.

26. Prædicatum in genere: venit ad lu-
cem. Dum nullus vel iudicium vel conspe-
ctum subterfugit: nihil enim, habet Tertul.
adv. Valent. erulescit nisi solummodò abscon-
di: fides enim est lumen animarum, habet
Chrysoft. hom. 1. in Matth. Et sic lucet lux
nostra ut videant homines Matth. 5, 16. Vt
discamus bonos anare lucem debere.

27. In specie per causæ finalis assertio-
nem: ut manifestentur ei9 opera. Siquidem
nil elatum vult habere Christianus: credit, pro-
pterea loquitur Ps. 116, 10. loquitur in conspectu
regum Ps. 119. 46.

28. Et per rationem à causa efficiente
desumpta: quia secundum Deum facta.
Hoc est secundum voluntatem Dei & in Dei
timore, non ratione meriti, sed ratione prescri-
pti. Vt discamus ea placere Deo opera, que
secundum voluntatem eius sunt.

NOTÆ

I.

Sic Deus dilexit mundum] Con-
sidera non vulgarem, sed ineffabilem,
fuisse dilectionem Patris, dum dedit fi-
lium suum; ut discas iterum diligere
Deum, & tradere tuam animam ei-
dem.

II.

UT salvetur mundus] Considera
Christum non venisse in mundum,
ut damnet, sed ut salvet; ut discas potius
hominis Christiani esse juvare salutem,
quàm omnia improbare.

III.

Dilexerunt homines magis tene-
bras quàm lucem] Considera
homines malle latere in tenebris, & mala
agere quàm prodire in lucem, & bona a-
gere; ut discas, vitare tenebras.

CASUS

C A S U S.

*An indicium male causæ nolle
prodire in lucem?*

Non videtur 1. Quia Christus sese occultavit, & Judæorum furores elusit fugâ *Matth. 2, 12. Iob. 8, 59.*

2. Quia licitum est fugere. Sic Moses fugit in terram Midian *Exod. 2, 15.* David à facie Saulis *1. Sam. 22, 3.* Obadiah Prophetas Dei abscondit *1. Reg. 18, 4.* Elias *1. Reg. 17, 19. fugit.*

3. Quia non temper jus habet vocandi, qui citat: Unde impune non paretur *l. ult. ff. de Iurisd.*

4. Quia fugiens ad Ecclesiam consequitur immunitatem *in c. inter alia X. de immunitate Ecclesie in c. 35. 17. q. 4.*

Videtur 1. Quia hic habetur: qui fugit lucem, ille malè agit, qui verò facit rectum, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus *Iob. 3, 21.*

2. Quia fuga est indicium malæ causæ: reorum enim est fugere; ita qui in occulto latitat, *N. 53. c. 4. §. 1.*
Fa-

*Farinac. q. 48. n. 8. Ludovicus à Pergu. de
cis. 17. n. 27.*

3. Quia fuga præsumptionem facit
contra fugientem. Imo semiplenè probat
*Schrad. in l. admonendi n. 281. p. 313. l. uni.
C. de raptu virg. l. 25. in pr. ff. ad Sctum
Syllan. adeò quidem, ut torturæ locus sit
P. H. D. art. 25. nisi causam allegare possit
Schrad. d. l. n. 281, 3. quales recenset Pe-
guer. decis. 17. n. 35. nisi post fugam redi-
set. Coras ius l. admonend. n. 75. vos illad
summpere per l. 1. C. de requirendis meis, nisi
sit spectatæ vitæ Schrad. d. 1. n. 281. vers. 6.
Vmmius ad procos. 18. Th. 3.*

4. Quia reus fugiens ad Ecclesiam
& inibi latens non consequitur immunita-
tem, expressè *Nov. 17. c. 7.* Non scelera
committentibus, sed patientibus, ut non
talia à præsumptoribus patiantur, parcen-
dum, & *Novell. 118.* Quod & sacræ li-
teræ affirmant *Exod. 21, 14. Deut. 19, 7.
Sic Adonia punitus 1. Reg. 1, 52. Sic Joab
extractus 1. Reg. 2, 28.*

Ad rationes contrarias 1. Fall. secun-
dum quid; Christus se subduxit, quia non-
dum tempus erat mortè subeundi *Iob. 7, 6.*

con-

contra furorem sese occultavit ; non occultavit aliâse & sua, ut quæ non in occulto fecit , sed publicè, uti testatur in passione, *Luc. 22, 53.*

Ad 2. Fall. causæ. Licitum est fugere iterum in persecutionibus magnorum Tyrannorum ; non verò alias ne reddam⁹ actionum nostrarum rationem poscentibus. Æquè sic David, sic Moyses. Et vis major etiam permittit, ut reus, si sentiat ex affectu contra ipsum procedere iudicem. Quin iniquè damnatus omninò teneretur fugere, si potest, & vitæ suæ consulere. *Farinat. q. 33. n. 66. c. Marsil. in Practi S. atting.* ut, si non fecerit, videatur reus sui corporis, & homicida. Quin fugiens ex carcere iniquo non tenetur, etiam si custodes occiderit, si aliter evadere non potest *Farinat. q. 27. vers. carceratus.*

Ad 3. Fall. Causæ ; Non habet quidem causam, interea tamen in honorem iudicis, licet iudex incompetens, debet comparere, & allegare causam emanentiæ & absentię : quod si enim tacet consentire videtur in citationem, eamque confirmat, si comparet protestari ipsi licet contra citationem.

tationem: Unde isti clancularii homines nullam habentes justam causam sese subducendi pro lubitu, quo minus reddant rationem suæ vocationis. At enim Petrus vult, ut cuilibet poscenti non legitimo tantum, sed cuilibet, reddant rationem vocationis & spei, quæ in ipsis est 1. Pet. 3, 15.

Ad 4. Fall. *Petit. princ.* Non sanè omnibus: non sceleratis & maleficis, sed miserabilibus, & qui vi opprimuntur. Unde aliud est asylum, ubi innocentes recipiuntur *Num. 35. Deut. 4, 41.* ut contra vim, malorum sint tuti.

Pontificia jura vetant contra Magistratum justissimam vindictam, quod contra Deum *Rom. 13, 2.* Alias fuga in causa religionis subditis in Germania concessa quò conscientis suis consulere possint liberè, si Domino tamen de proprietate satisfecerint, emigrantes. Potissimum suboiti si prius precibus & supplicationibus sollicitarint tolerantiam contra iniuriam à principe absoluto illatam. *Videtur Petrus Friederus l. 1. de mand. c. 30. Syring. de pace religionis conclus. 33. Brunning. de variis univers. speciebus conclus. 39. Carpzov. ad L. Regiam f. 14 §. 2. n. 11.*



Est verax, simplexq; Deus, non dupla vo-
luntas

Ejus quē vocat, hunc simplice corde vocat.
Et sic dilexit mundum, datus unicus, ut sit
Filius, huic credens filius alter erit.

Nam Deo hanc natum misit, quo iudicet, at sic
Ut per eum mundus saluus, id ipse cupit.

Credens iudicium subit hanc, incredulus orci
Pars, damnas Nato Credere nolle Dei.

Hoc est iudicium: venit lux, mundus at optat
Plg tenebras, quoniam crimina sola patrat.

Talia sed quisquis facit: odit is undiq; lucem,
Nec venit ad lucem, ne sit & inde reus;

Qui verò rectum facit: audent cernere lucem:

Eius quippe Deus publica facta probat.

Publica propterea proponit & HEINSIUS. Ista

Ut gaudere Deum Simplicitate prober.

Pergat! eritq; Deo gratis simo HEINSI⁹, ut qui

Simplicitatis amans candida corda beat,

optat GUEINZIUS.

H Ein sterblich Mensch vermag so hoch hinauf
zu streichen
Mit flügeln der vernunft / bis das Er löne
erreicht en

Wie gegen diese welt das allerhöchste guth
End;andes worden sey in hochster liebes gluth.

Allein

Allein des Vatters wort das sich hat wollen kleiden
In unsr. Fleisch und Blut/und alles gerne leiden/
Was solte worden sein den Menschen angethan
Von wegen ihrer schuld / das zeuget deutlich an
Wie also Gots die Welt noch vor der zeit geliebet/
In solcher liebes lust hab in der zeit gedübet/
In dem er seinen Sohn gegeben habe hin/
Zu werden Mensch/damit das alle die nur Ihn
In Glauben sehen an nicht solten sein verlohren/
Vielmehr nach dieser zeit zur ewigkeit erkohren:
Wie H: insius hiervon mit mehren gibt berichte.
Aus dem was Gotes Geist durch seinen Schreibe
ber spricht.

Mein Heinsti fahre fort und habe lust zu fliegen.
Durch glauben hoch himan bisz das er möge erliegen
Die höchste liebes lust/die heisse liebes gluth/
Bisz das er sehe selbst/das allerhöchste guth.

Melchior Georg aus Schwarz
zenberg 1730 an der grossen Schulen
zu Halle der Siebende Amtsgehilffe.



Δ Ἦκεν μνηογενῆ θεὸς υἱὸν ὄφρα σαῖση
κόσμον, Παμμεδέων, ἐκθανάτοιο κακῶ
Ταυτ' ἀνάγει, χαυεροῖ φς πίστιν ἔιναι
αὐτῆς,

Ἐμμενε, καὶ λήψη χάριματα αἰδία.

quod optat

JOHAN. CHRIST. GUEINZIUS JUN.
Pb. Stud. H. S.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017




EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C





B.I.G.

Farbkarte #13

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

TIARUM
 ELICARUM
 IVALIUM
uifitio XVI
 RÆSIDE
 IO GUEINZIO
 afii Hallensis
 Rectore
bondente,
 HEINSIO'
 râ Lufato.
 ENTE COSTES.
 R. cl. Ic. II.
 S SAXONUM
edum Melchioris
ſchlegell.